

in quid & essentialiter affirmari potest, illud est verum & genuinum ejus genus. Atqui corpus de coelo & aliis speciebus pluribus in quid & essentialiter affirmari potest. Ergo Major est definitio generis conversa juxta illud: Omnis definitio debet esse reciproca. Min. prob. quia dum aliquis ex me quærit, quid sit coelum, recte illi respondeo, quod sit corpus: Item, interroganti, quid sit stella, non vitiose respondeo; est corpus. Porro, quia corpus est de essentia horum omnium, essentialiter etiam de iisdem prædicetur oportet. Quoties etiam aliquod prædicatum, est vel ipsa essentia, vel de essentia (illud quod est de essentia nihil aliud est, quam pars essentialis vel physica, ut materia & forma substantialis, vel Metaphysica, ut genus & differentia) subjecti, toties prædicatio essentialis est.

§. 16. Dicitur 2. in positâ §. 10. descriptione, quod coelum sit corpus simplex. Ubi per vocem simplex, ut & per sequentia vocabula ibidem proposita exprimitur coeli differentia, non quidem stricte sic dicta, sed latius, prout & propria & communia accidentia differentiæ dici solent, quatenus per ea aliquid ab aliis distinguitur. Cum enim differentia ita debeat esse comparata, ut per eam res ab omnibus aliis differat, & verò cœli

L

dif-

oi